Quelle:
Copyright:



Liber ecclesiastes cum prologo seu potius epistola S. Hier. ad Paul. A Eustoch. "Memini me hoc ferme quinquennio." Versio est ejusdem ex hebraico, uti in vulgata; lectiones variantes incuria peperit scriptoris.

Cantica canticorum ut in vulgata.

Sapientia. Versio nostra eadem quidem cum vulgata multas tamen continet lectiones variantes, sed quae ejusmodi non sunt, ut peculiarem probent ex graeco translationem. Cum liber iste juxta Hieronymum hebraice nunquam exstiterit, fons latinarum omnium textus est graecus.

Ecclesiasticus. Idem de hoc libro dicendum est, quod de priori. Utrum vero Ecclesiasticus noster ex hebraico, an ex graeco prodierit, adhuc inter eruditos certatur.

Isaias cum prol. S. Hier. Nemo cum prophetas versibus.

Jeremias cum prologo S. H. Jeremias propheta, cui hic prologus.

Capiti ultimo annexa est Praefatiuncula haec: "Et factum est, postquam in captivitatem ductus est Israel et Jerusalem destructa est, sedit Jeremias propheta flens, et planxit lamentationem hanc in Jerusalem, et amaro animo suspirans et ejulans dixit." Quae praefatiuncula nec habetur in Hebraeo, nec in antiquiss. Mss. versionis Hieronymianae; sed habent eam graeci, a quibus ad versiones latinas antiquas dimanavit. Singulare est illud, quod non lamentationibus, sed Prophetiae Jeremiae sit adjecta. Immediate eam excipit non minus singularis inscriptio seu titulus libri Threnorum, his: "Incipit lamentatio Jeremiae, quod est in titulo Cimoth /: pro cinoth hebraico :/ cum absolutione litterarum ebraicarum."

Liber Baruch ex versione latina antiqua, nam Hieronymus eum nunquam in latinum vertit, ut ipse in praefatione ad Jerem. testatur. Praecedit brevis praefatiuncula /: prologus in codice nostro dicitur :/ "Liber iste qui Baruch nomine praenotatur," quae non Hieronymi, sed recentioris multum Authoris. In fine addita est epistola Jeremiae, ut in vulg. sed titulus variat; est is in codice nostro: "Sequitur exemplum epistolae ejusdem" /: vulgata: exemplar epistolae, quam" :/ quam misit Jeremias ad abductos /: vulg." abducendos", graec ἀκδεσομένους :/ captivos in babyloniam a Rege babiloniorum, ut annuntiaret /: vulg: "illis secundum" :/ quod praeceptum est illi a Deo. Vers. quoque